

B. N. C.
FIRENZE
1064
17



1064.17

PROSOPOPOEIA CASALII.

U



Rbs ego primaria Ducatus Montferatensis
Casalium S. Evasii

evasi tandem jugum & servitutem Gallorum,
qvibus ante annos quatuordecim in usum cessi, non in dominium.

Placuit tunc *Ludovico* dolus,
nunc *Fœderatis* aperta virtus;

Ille vim mihi intulit dormienti, hi vigili;
ille inermi, hi armatæ;

ut tunc occupata magis fuerim, quam superata,
nunc superata, non occupata.



Haud deerant tunc Ithaci & Sinones;
qvi argenteis hastis & astu fallerent:
nec nunc Achilles defuerunt & Diomedes;
qvi me fortiter expugnarunt prius
quam oppugnari posse crederer.

Nimirum ex quo innocens ego vendita fui Gallis,
hi ad me muniendam omnem moverunt lapidem,
& ex minus munita reddiderunt pene invictam.

Castellum hexagonon, abruptis roboratum aggeribus
multiplici vallatum munimine,
feralibus machinis, armorum vi,
ac numerofo præsidio instructissimum,
erat civium meorum capistrum, vicinorum flagellum, hostium terror.



Sed ostendi ego nuper orbi,
urbem neqve lapidum acervis, neqve militum catervis,
muniri satis,

cui Heroica Fœderatorum Virtus insistit.

Hi pabula primùm subducebant obsessis,
ut, quam armorum vis nequiverit, fames acceleraret deditioem.

Dein anni hujus mense Martio Martius fiebam campus,
& ardiore coronabar obsidione.

Turbabant fortunæ bellicæ serenitatem Aprilis turbines,
& luctandum erat. Obsidentibus
non cum hoste tantum, vallisqve & muris,
sed cum ipso cœlo, ventis ac nivibus.

Eo tamen emictere virtutis,
ut in Martiales Ipsorum flammâs nihil potuerint glaciati imbres,
nihil hiberna tempestas in pectorum fervorem.

Vicit aëris injurias patientia,
nivium profunditatem animorum altitudo,
frigoris immanitatem pugnandi ardor;
brevemqve interjectam moram, insecutæ expugnationis celeritas.

Reversis Fœderatis
Urbemqve & Castellum injecto igne infestantibus,
posuerunt obsessi grandes illos spiritus,
detumuerunt minarum folles,
resederunt irarum ignes,
evanuit ardui supercilii nubes
qua mera fulmina cudebantur.

Facta mox est deditio hac cum conditione,
ut omnes Arcis & Castellum munitiones solo æquarentur.

Quid hic Fœderati?

Maluerunt incruenta potiri palma, quam funesta;
vincere, quam necare;
maluerunt super lapidum cumulos, quam cadaverum tumulos,
erigere trophæa.

Accedentibus itaqve Victoribus ego accidi,
& eximio triumpho non portas pandi, sed mœnia,
quasi tubæ Hierichuntinæ præcessissent.

Quam celeres sunt rerum ruinæ!
Tres menses straverunt multorum annorum opera.

Cecidit Castellum meum;
quod urbis jugo impositum urbi jugum imponebat.

Cecidere propugnacula, quæ superbe steterunt.

Jacent munimenta mea, ac monent,

Casui obnoxiam esse omnem potentiam, quam dolus erexit;
illamque tunc præcipitio proximam esse, cum summum tenet.

Denudata jam sum,

ut nec manibus nec mœnibus nocere amplius possem:
debellata, ut paci, non bello, superessem;

Castellum meum tumultatum,

ut Italiæ securitas revivisceret.

Fui vicinis hætenus suspecta & gravis,

non mea, sed Gallorum, culpa;

nunc amica ero soror, quæ fui inimica,

civium meorum tranquilla & opportuna ero domus,

quæ, abactis civibus, importunorum hospitem hospita fui
& latibulum.

Valete Galli,

cristas tumide super erectas, cum pudore,

prout ego munimenta mea, demittere coacti;

ac discite,

nihil esse vanius & inanium, quam ea cupere & capere,
quæ tueri non possis.

Salve Domine pristinae,

& posthac cautius mercari disce!

Dum enim Castellum meum Gallo vendidisti,

Cæsaris ac Vicinorum inimicitiam emisisti.

Tanti vero poenitere non debebas emere!

Custodietur interim memoria seculorum omnium

Obsidio hæc brevissimo tempore confecta;

& quia meritò nunquam satis commendari potest,

commendabitur sæpissime, diutissime.



Ita præcludere placuit Orationi,
quam de

*Fatis Bellicis Casalii S. Evasii
ejusq; deditioe ad Summos Fœderatos
nuper facta,*

circa primam crastini pomeridianam

Vir Iuvenis antiqua & generosa stirpe commendatissimus
DN. JACOBVS WILHELMVS WALDSTROMER
a Reichelsdorf, Patric. Norimb.
publice recitabit.

Hunc ut

MAGNIFICVS VNIVERSITATIS RECTOR,
GENĒROSVS AC STRENVISSIMVS VRBIS PRÆ-
FECTVS,

AMPLISSIMI CELEBERRIMIŒ PATRES ACA-
DEMICI,

FLOS ITEM COMMILITONVM STVDIOSORVM
NOBILISSIMVS POLITISSIMVSŒ,

quod est amoris & benevolentia, benigne,

quod studii ac diligentia, attente

audire velint,

reverenter & officiose rogat

CIRCULI ORATORII MODERATOR.

P. P. ALTDORFII NOR. d. XXII. NOVEMBR.

A. O. R. CIO IDC XCV.

Literis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.

957619

1064 14



MC

